

AD IVSTA FVNERI
NOBILIS DOMINI
VIRI MVLTARVM VIRTVTVM GLORIA
ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI

H E N R I C I
C H R I S T I A N I
A B E N D E

S V P R E M I V I G I L I A R V M O L I M P R A E-
F E C T I L O N G E D I G N I S S I M I

D. IX. MARTII c^{lo} loccX.
DIGNE PERSOLVENDA

C I V E S A C A D E M I A E Q V O S C V M Q V E
E A Q V A P A R E S T H V M A N I T A T E
I N V I T A T

F R I D E R I C I A N A E P R O R E C T O R

H E N R I C V S B O D I N V S I C T .
S A C R I T R I B V N A L I S Q V D I N D V C A T V E S T M A G D E B V R -
G I C O C O N S I L I A R I V S R E G I V S I V R I V M P R O F E S S O R O R D I N A R I V S .

MALAE, TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, ACAD. TYP.

AD TURSTAN HUNTERI
MONACHIS DOMINI
VII MULIERUM MULIERUM FONIA
DEPARTITIS ATOAE EXCELSITATIS
HENRYI
CHRISTIANI
VR ENDO
SATRUM AGENTIA MOLITA
MOLI LONGE DIGNISSIMA
CIAES ACADAMI ET CLOSOVOMA
EV QAV SER ERE HUMANITAS
TUDENIGNE PROLEMCTOR
HENRYI'S HOMINAS ICT



Espublica armorum disciplina,
atque pacis artibus quasi duobus
fulcris innititur. Frustra enim
exercitus foris sunt; nisi consili-
um inueniatur domi: & frustra denique præ-
clara consilia forent; nisi fortissimorum vi-
rorum excelsa facta vim iisdem adderent, ro-
burque. Peccauit itaque Marcus Cato, qui
æquo ferre animo Philosophos non potuit.
Aberrarunt vicissim a scopo sapientiæ ma-
gistri, qui militarium hominum strepitum,
clamores, armorumque fragorem audi-
re noluerunt. Horum enim opera
id ipsum habemus, quod viuimus quod
liberos, coniuges, amicos, quod aras,
& focos, quod patriam libertatemque serua-
mus, atque tenemus: ab illis vero, quod sci-
entiam earum rerum omnium consecuti su-
mus. Quid enim usquam est, quod Philo-

sophia ambitu suo, ac quodam veluti sinu
non complectatur? Igitur vtraque coniungenda
disciplina, & Martis, atque Musarum
perpetuum stabiliendum contubernium est;
ne disiunctis amplius animis viuant; sed eos-
dem inuicem amicos, inimicosque habeant;
eisdemque gaudii caussas, eisdem etiam luctus
rationes accipient. Quod vt imposterum
certo consequatur, nostri iam officii esse cre-
dimus publice significare, VIRVM nobilitate
generis, & gloria maiorum, & propria virtute
florentissimum HENRICVM CHRI-
STOPHORVM ab ENDE, qui munus vigi-
liarum supremum strenue olim in bellis obi-
it, ex hac vita non sine multorum lacrimis,
atque luctu discessisse. Natus is est VII. Kal.
Ianuarias a. clo. loc. XLV. in arce Barbiensi, Pa-
tre ADAMO HENRICO ab ENDE antiquissima
prosapia, multisque egregiis meri-
tis præcellente, totius primum Comitatus
Præfecto, deinde Serenissimi Saxoniae DV-
CIS, ac Magdeburgici Archiepiscopatus
ADMINISTRATORIS Consiliario con-
summatisimo. Maternam originem ad EV-
PHEMIAM CATHARINAM ab EC-

KARTS-

KARTSBERGA honoratissimæ imaginis
feminam retulit multipli virtutum, ac ge-
nerisetiam claritudine eminentem. A prin-
cipio vitæ bonis artibus, & religioni adsue-
factus indolem supra ætatis mensuram sapi-
entissimis quibusque approbavit; qui talem
cum futurum augurabantur, qualem cogniti-
tum iudicarunt. Quo factum est, ut fulgen-
tissimus Brunsuici, ac Luneburgi Princeps
RVDOLPHVS AVGVSTVS eumdem
nobili aulæ famulitio adscripserit, ac in præ-
cipuis habitum ita ab ceteris distinxerit, vt li-
bellorum supplicum caussis referendis, ac e-
narrandis haud raro adhiberet. Per hæc, ac
talia iuuentutis partet transacta a. cl. b. LXXI.
felici augurio iter in Gallias suscepit, & ad Al-
pium usque iuga excurrens prima tandem
sub Rege, quem Christianissimum vocant,
stipendia in Belgio fecit, vexillarii in equita-
tu officio functus. Nec dubium est, quin ad
altiora EIDEM adspirare licuisset, nisi Cæsar is,
ac Imperii Procerum litteræ minaces, & a-
cerbæ Germaniæ Nobiles clientes, & in his
NOSTRVM quoque ad patriæ lares defenden-
dos euocassent. Quibus cum is lubenti ani-

A 3

mo pa-

mo paruisse, sub Suecorum, quas in Bremen-
si tractu habuerunt, copiis tamquam Centu-
rio meruit; postea a. CICICLXXV. sumini
Tesserarii loco obtento intra validissimos
Carlsburgi muros strenue pugnauit; nec, ni-
si extrema fame compulsus iuxta cum aliis
deditio[n]i annuit, ac subscripsit. Inde relicta
militia a. CICICLXXVI. ad aulæ munia de-
nuo conuersus Serenissimi Holsatiæ DV-
CIS, ac maxime Reuerendii itidem Eutinensis
PRÆSVLIS VIDVAE sapientissimæ ministe-
rio se addixit; vbi v[er]t[er]ioris fortunæ, hono-
rumque nequaquam expers permanxit. Bi-
ennio enim post Dapiferi, quod appellant,
munus adeptus, honestum matrimonii pa-
ctum cum nobilissima virgine EVA SO-
PHIA de BABZIN iniuit, vtpote quæ mo-
destia, integritate, ac vita sanctimonia reli-
qua sexus sui decora, quæ in eminentissimæ
PRINCIPIS Gynæcco laudabili more viue-
bant, longe antecelluit. Ex illa filias tres,
superstites ELISABETHAM CHRISTINAM,
AMALIAM DOROTHEAM, CATHARI-
NAM SOPHIAM felici sidere sustulit specta-
tißimas fortissimorum Virorum, ac Satra-
parum

parum vxores. Quis enim RVDOLPHO ab ENDE præstantior? quis CAROLO DIETERICO SCHICKIO fortior? quis IOANNE GASPERE WEISKIO moderatior? Sed primo tamen loco nominandus fuisset FILIVS multis animi dotibus præcellens, ac perillustris IOANNES ADAMVS ab ENDE, S.R.I. Liber Baro, Regiminisque, quod est in Ducatu Magdeburgico Consiliarius Regius multo prouidentissimus; qui haud ita pri dem cultissimæ gentis feminam, hoc est BEATAM SOPHIAM IULIANAM DANCKELMANNIAM in genialem torum traduxit. Quid mirum est igitur, si NOSTRI coniugium tot amoris pignoribus stabilitum dulcissimum fuerit, tantaque voluptate repletum, quantam maximam capere possunt homines caritate certantes? Sed retulit tandem retro ex Holsatia pedem bene DEFVNCTVS, accessurus paullo propius ad patriæ dilectissimos fines. Itaque a. cl^o l^c lxxxiii. Salzæ primum, deinde Rosenburgi, demum vero Halæ fortunarum suarum sedem posuit; donec a. cl^o l^c xcii. vniuerso Rosenburgico pago a Potentissimo Borussiæ REGE cum auctoritate præficeretur. Ibi quanta diligentia, quantaque animi, & consilii matutitate munus suum obierit, in omnium sermonibus hodienum versatur palam, testesque indubitate loquuntur. Vnde hoc loco nequaquam prætereundum est factum eius admodum insigne. Tot enim prosperis confluentibus repente nihilominus statuit secedere; seque e medio ac continuatione laborum quam longissime amouere;

re; dubium, ætatisne, quæ ad senium properabat,
fastidio, an valetudinis metu, quæ corpus adfli-
gere paullulum occipiebat. Vix enim commen-
atum **ILLE** ab Principe impetravit, cum iam a.
cl^o lcc^o II. intumescerent pedes, & quædam
spirandi difficultas in pectore præcordiisque ob-
seruaretur. Quare ad Medicos itum est, qui san-
guinis spissitudinem soluerent, liquarentque.
Sed hi tamen vbi funditus tollere malum nequi-
uerunt, illud diutius traxerunt, donec *Nostria* in
vehementissimum æma commutaretur. Hoc
vero **AEGRVM** adeo quassauit, ac male habuit,
vt spiritus per angustias euadens non tantum fibilum elideret; sed etiam dolore intra pectus cre-
scente caput semper in lecto, aut sella metu stran-
gulationis sublime esset habendum. Quibus
ILLE visis animum despondit; & a terrenis
ad cœlestia conuersus ad mortem se composuit,
quæ **EVM** tandem IV. Kal. Martias, cum quintum,
& sexagesimum annum ante duos menses
esset egressus præter adstantium opinionem ene-
cauit, ac subruit. Quamobrem ex animo roga-
mus **CIVES** Fridericianæ quoscumque, vt, quod
ei post meridiem destinatum est, funus amplissimum
ea, qua par est, pietate frequentes fe-
quantur. Fuit enim omnino Vir probus,
pertus, forti animo, ac moribus ingenuis, ac
libero, atque nobili homine dignis: in bello
laudandus; in pace non sfernendus; in vita
ac morte optimus. P. P. Halæ Mag.
deburgicæ VII Idus Martias
cl^o lcc^o X.

Ee 700 - 811

4°

